



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Tres causæ ob quas magnificienda est vocatio ad Statum religiosum:
satisfactio pro peccatis commissis, assecuratio & spes certa salutis. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

DVæ sunt classes adolescētum, pro quibus iuandis hoc scripsi opusculum. Altera est eorum, quos Deus euocat ex seculo ad amplectēdum statum Religiosum: Altera eorum, qui volunt remanere in seculari statu, ac in eo piè christianeque viuendo, (vti possunt) saluari. Pro primis, sunt omnia huius opusculi capita. Secundi, ommissis primis septem

capitibus, & capite decimo, decimoquarto, ac reliquis capitibus post decimum septimum caput positis, legant sola capita, octauum, nonum, undecimum, duodecimum, decimum tertium, decimum quintum, decimū sextum, decimum septimum. Si enim iuxta monita in his capitibus data, Deo adiuuante viuent in suo seculari statu, saluabuntur, vti saluati sunt tā multi Reges, Episcopi, Principes aliique.

Monita data habentibus Vocationem ad statum religiosum, præsertim Adolescentibus.

1. **V**i Deus dedit desiderium relinquendi mundum, & amplectendi statum religiosum, duo ei sunt necessaria. Primum, vt magni æstimet hoc beneficium Dei, cum ad Religionem vocantis, ac proinde pro eo sape magnas agat gratias quotidie, saltem breuiter, sed feruenter. Secundum, vt antequam Religionem ingrediatur, toto eo tēpore quo manebit in seculo, disponat se ad statum religiosum, modis infra dicendis.

CAPVT PRIMVM.

Tres Causæ ob quas magnificanda est vocatio ad statum Religiosum, nimirum, satisfactio pro peccatis commissis, assuectio & spes certa salutis.

Hæ causæ, vt magnificat hanc Dei vocationem, & sit in ea firmus, tanquam sibi omnino necessaria, & à se necessario exequenda, plurimum ei proderunt, vel lentè lectæ, vel mente benè, & sine festinatione discursus, ponderatæ.

Prima.

2. **S**i hæctenus malè vixit in seculo, præsertim, si Spectata castitati contraria solitus fuit committere, agnoscat se obligatum esse ad amplectendum statum religiosum iudicio S. Gregorij Pape, qui hac de re sic scripsit, explicans illa verba à S. Iohanne Baptista prolata, Facite fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis, inquit S. Gregorius, notandum est, quod amicus sponsi, (id est S. Iohannes Baptista) non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ, admonet esse faciendos. Aliud namq; est fructum facere pœnitentiæ, aliud, dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim secundam dignos

Luc. 3. 8.
hom. 20.
in Euang.

pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quis quis illicita nulla commisit, huius iure conceditur, vt licitè viatur, sicq; pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea que mundi sunt non relinquat. Ac, si quis in fornicationis culpam, vel fortasse in adulterium (quod grauius est) lapsus est, tamò à se licita debet abscondere, quamò se meminit & illicita perpetrasse. Hęc S. Gregorius Papa.

Cum autem peccatum mollietæ, seu pollutionum maius sit (vt docent Theologi) quàm fornicatio, & adulterium, quia est contra naturam, si S. Gregorius vult lapsos in fornicationem, vel adulterium, ea que mundi sunt relinquere; multò magis id faciendum est iis, qui sine lapsu in fornicationem, vel adulterium, solo peccato mollietæ, seu pollutionibus (idem enim sunt) se contaminarunt. Et quod maius est, ipse Deus hoc vitus est docuisse, quod S. Gregorius docuit. Nam, vt scribitur in Prato spiritali commentato à septima Synodo generali, seu Nicæna secunda, cum quidam adolescens virginem mortuam, & in vno extra ciuitatem monumento sepultam, noctu tumulum ingressus, vestibus quibus erat corpus virginis indutum, spoliasset, & ipso etiam indutis, diuinitus resuscitata virgo mortua resedit, sinistraque manu sua apprehendit dexteram illius adolescentis, & ait: Nequissime hominum, itane decuit te nudare me: an tu non times Deum, neq; metuis damnationem vltimæ retributionis: nonne vel saltem mortua misereri debuisti sed Christianus existens, itane me nudam assistere Christo, honestum fore iudicasti: Neque sexum muliebrem reueritus es: Nonne hic sexus te peperit: nonne matrem tuam quoque hac in me iniuria violasti? Quam infelicissime hominum rationem reddidurus es Christo, de scelere in me perpetrato, ante ipsius tribunal tremendum, quòd viuentis me, nullus extraneus vidit vnquam faciem meam, & tu post mortem & sepulturam denudasti me, & nudum aspexisti corpus meum? Et post alia in hunc sensum dicta adolescenti, noluit eum dimit-

dimittere, nec sibi promitteret, se statim seculo renunciaturum, & monachum futurum. Quod cum ei promississet iureiurando, eamque ipsam vestibus vestivisset, dimisit eum: ipse vero nec domum suam rediens, statim vitam monasticam amplexus est; & virgo rursus se collocans mortua est. Si ergo Deus solam mortuæ denudationem indicavit dignam, ut ille adulescens, Religiosus ob id fieret, & per miraculosam mortuæ suscitacionem ad hoc eum induxit, quanto magis maiora luxuriæ peccata, quibus vel proprium, vel alienum corpus coinquinatur, statu Religioso sunt expianda? Unde S. Bernardus scribens suo nomine, & Stephani Cisterciensis, & Hugonis Pontificienfis ad summum Pontificem Honorium, sic epistolam incipit: *Degentes in monasterijs ad qua nos nostra peccata compulerunt, &c.* Si ergo S. Bernardus suis peccatis compulsus est statim monasticum amplecti, qui florem suæ virginittatis illibatam servavit, etsi esset gravibus tentacionibus, & occasionibus involuntariis impetitus, ut colligitur ex vitæ eius lib. 1. c. 3. quanto magis alij gravibus sceleribus castitati contrariis coinquinati, statim religiosum amplecti debent, si sunt ad eum idonei, ut in eo, & per eum sua flagitia abluant? Quocirca uti monet S. Hieronymus Pelusiotæ Palladium Diaconum, *Si salutis desiderio teneris, omnia, qua ad eum ducunt effice. Nam qui ut aliquid fiat, expetit, quò id fiat, quidvis agere debet.* Itaque qui in seculo per lapsus in gravia peccata à dæmone vel à pravis affectibus victi sunt, in seculari statu, illum deserendo victores evadant, iuxta consiliū S. Ephræ: *Ex prælio, inquit, in quo vulnus accepisti, hinc victoriâ reportare. In loco, ubi thesaurus ante spoliatum es, potes eundem recuperare. Vbi fudit Achab sanguinem Naboth, ibi linxerunt canes sanguinem impie Izabel. Achab eiecit Naboth ex propria vinea: & te peccatum vult à Christi mandatis dimovere. Achab Sathana tyrum gerit, & Izabel, figuram iniquitatis.* A qua per statum religiosum liberaberis & quoad culpam, & quoad penam, quia ut infra demonstrabo ex S. Bernardo: *In Religione homo cadit rarius, vivit purius; si ceciderit, surgit velocius, purgatur citius, inque instat Baptismi.*

Secunda Causa.

3. **D**vo sunt fines ob quos homines vocantur à Deo ad statum religiosum. Vnus est, ut in eo fiant meliores & sancti: & hoc modo vocavit S. Thomam, B. Aloysium, B. Stanislaum & multos alios, qui etiam in seculo fuerunt innocentes, & valde boni. Alter finis est, ne damnentur in seculo, si in eo permaneant. Et hoc modo ordinariè vocat eos, qui malè in seculo vixerunt. Prævidens enim Deus, eos, si in seculo usque ad mortem vixerint, in peccato mortali morituros, & volens eos saluare, evocat à seculo ad statum religiosum, ut in eo sal-

ventur. Idèd S. Gregorius Papa, reprehendens Mauritiū Imperatorem ob edictum quoddam, quo milites, monachos fieri prohibuerat, & aïens, hanc legem esse iniquam, causam affert: quòd per eam multis via cælorum claudatur, redditque rationem, quoniam licet multi sint, qui etiam in seculari statu bonam vitam ducere possint, tamen, inquit, *pleriq; sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Lubrica spes est, inquit S. Cyprianus, que inter somenta peccati saluare se posse sperat. Incerta est victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est, flammis circumdari nec ardere.* Unde accidit, ut quàm plurimos viderimus & audiverimus, qui in Religione non perseverarunt, & redierunt ad seculo, etiam sine apostasia, (quippe absoluti à votis, à suis Superioribus) fuisse mortuos sine confessione, & contritione, in statu peccati mortalis: quod in iis prævidens Deus, vocaverat eos ad Religionem, sed illi contempserunt hoc Dei beneficium, redeundo ad seculo. Similiter, multi ob eandem causam vocati ad Religionem, cum contempserunt vocationem, & non intrarunt in Religionem, vix sunt pessimè mori, in peccati mortalis statu. Et ut omittam alia exempla, referam quòd mihi contigit. Habui Romæ circa annum Domini 1602, nepotem Patriarchæ cuiusdam, Conuictorem in seminario Romano, præclaro ingenio, & omnibus naturæ dotibus eximie ornatum, 18. annos natum, is cum petiisset à me, ut eum spiritualibus exercitijs S. Ignatij excolerem, eaque fecisset piè, & diligenter, ac in eorum sine confessionem generalem totius vitæ, pulcherrimè & sincerissimè coram me instituisset, antequam ei darem absolutionem, petiit à me, an esset peccatum, non exequi Dei vocationem, aliquem ad statum religiosum à seculari evocantem? Sciebam quòd collimaret talis interrogatio, (dictum enim mihi erat eum à Deo vocari ad Societatem nostram, idèd nullà huius rei factâ mentione, cautè illi sic respondi. Possè quidem sine peccato vocationem ad statum religiosum non mandari executioni, quia merum Dei consiliū est, & non præceptum, sed multos damnari ob id, quod non executi sint talem Dei vocationem, non quidem ob eam neglectam, sed ob peccata mortalia, in quibus tales morituros Deus præviderat, si in seculo morerentur, & idèd ne in iis morerentur, sed saluarentur, volebat eos Deus abstrahere ab occasionibus proximis talium peccatorum, & ab ipsis peccatis, ac proinde ad statum religiosum, in quo forent ab iis præservati, eos vocabat. Et ita huic nobili adolescenti contigit. Paulò post relictis in collegio Romano studiis, perrexit ad Academiam Maceratensem Iurisprudentiæ daturus operam. Vbi, (vix quotidie contingere solet) rarè ad confessionem, & communionem accedens, locis impu-

ra loquentibus, & liberè viuentibus, sese adiungens, libros lasciuia continentes legens, & quæ inde sequi solent peccata committens, tandem cuiusdam sceminae amore captus est, ad quam eo inscio, alter socius natu maior, turpis commercij causa venire solebat. Igitur dum quadam vice hic adolecens inuentus esset in domo illius sceminae à natu maiore, is mortem ei minatus est, si amplius rediret ad illam sceminam. Contempsit ille minas, & ratus natu maiorem non solere noctu ad illam sceminam accedere, ipse nocte intempètà (quando nullum putabat esse in domo illius sceminae) eò se contulit, luce luna; sed cum esset in medio itinere prope collegium, & sub ipsis fenestris nostri collegij, occurrit ille alter adolecens natu maior, & videns hunc ad illius sceminae domum euntem, à se veritam, euaginato pugione statim eum confodit. Confusus miser, & in terram deiectus, alrà voce inelamauit confessorium, sed antequam confessorius accurreret, infelicem animam repente exhalauit, & in se ipso ostendit, terribile illud decretum Dei Proverb. 1. positu: *Vocauit, & renuistis: despectistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque, in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis euenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè consergent, & non inuenient me, eò quod exorsam habuerint disciplinam (statu melioris) & timorem Domini non susceperint, (malè viuendo in statu seculari) nec acquisuerint consilio meo (statu meliorem & securiorem suadenti.)* Hæc res mouit P. Claudium Aquatium nostru Præpositum Generale V. Societ. Iesu ingredetetur. Cum enim ei in mentem venisset illud Domini dictum: *Oves meae, vocem meam audunt, simul inuasit eum timor, ne si caelesti illi consilio non obediret, non esset ex oibus Christi. Quam ob causam eadem hora, ac panè momento ad nostros venit, seq. eiu toto animo addixit. Deinde ad Religiosum statum etiam innocentissimos adolecens Deus vocat, qui nullo peccato mortali corpus, & animam suam coinquinant, quando præuidet illos in statu seculari suam innocentiam, & vitam æternam amissuros, Quam ob causam etiam aliquos in infantia, & pueritia facit mori, iuxta illud Sap. 4. 10. 11. *Placem Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores, transatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Quocirca, si vocante nos terreno & mortali rege, inquit S. Ioannes Climacus, & in suum obsequium nos militare iudente, nihil moraremur, neque occasiones quereremus, sed omnibus dimissis, illi summâ alacritate pareremus: attendamus nobis ipsis, caueamusq. diligenter, ne sorte Regi regum, & Domino dominantium, & Deo deorum nos vocante ad caelestem hunc Ordinem, propter nostram desidiam, & negligentiam obtemperare recusemus: & postmo-**

Plar. li. 3. cap. 38.

Gr. 1.

dum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inueniamur.

Tertia Causa.

Cetera spes æternæ salutis consequendæ, si statum religiosum amplexus fueris, & in eo vixeris iuxta Regulas eius vsque ad mortem. Hoc enim Veritas infallibilis promisit suis Apostolis (qui erant veri Religiosi, vt docet sancti Patres) & omnibus aliis: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Si ergo nunc veniret Angelus ad te de cælo, tibi que clarè diceret: *Fias Religiosus, vt bene in Religione viuas vsque ad mortem, & ego tibi nomine Dei promitto remissionem omnium peccatorum tuorum, quæ commisitisti, & vitam æternam: dubitare scias? an non libentissimè feres Religiosus? ita multò libentius religionem quam citissimè debes ingredi, quia certior est ista promissio (quippe à Spiritu sancto relicta in sacra Scriptura, que mentiri non potest, sicut nec Christus Dominus qui id promittit) nec est vllus de hoc dubitandi locus, sicut esset, dum appareret Angelus, quia in talibus apparitionibus multæ solent contingere deceptiones, eò quod fathanas, vt ait Apostolus, quandoque transigunt se in Angelum lucis. Impossibile mentiri Deum, inquit S. Chrysostomus, promisit autem ille vitam æternam ista relinquentibus. Reliquisti tu omnia ista & abiicisti: quid igitur prohibet de huiusmodi considere promissione, & esse securum? Felix paupertas voluntaria, ait S. Bernardus, omnia relinquentium, & sequentium te Domine Iesu, felix plane, que tam securus, imò tam gloriosus faciat, in illo singulari fragore elementorum (scilicet die Iudicij) & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine iudiciorum. Quocirca benè scripsit primus Patriarcha Venetiarum beatus Laurentius Iustinianus, differens de disciplina & perfectione monasticae conuersionis: *Illius caelestis ciuitatis iste est introitus: (scilicet per statum religiosum) iste nempe est locus, de quo ait sanctus Iacob, Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta celi. Qui hic viriliter & perseveranter certauerit, coronabitur illic gloriose. Ambo castra Dei: (scilicet religio & cælum) ambo sedes sapientia: ambo sanctorum ciuitates: qui in hac laudabiliter conuersatus fuerit, ab illa excludi non poterit. Et paulò infra. Securè speret post hanc peregrinationem ad illam supernam intrare Hierusalem; quicumque in iustorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis (hoc est prædestinationis ad gloriam) iudicium est, huius fraternitatis habere consortium, facileq. ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. Ideo cum omni circumspectione, & animi maturitate se studeat promouere, quisquis in hac sancta collegia (sunt verba formalia sancti Anrithis) Deo dicata vocatus est: ne diabolus**

Chr. h. 17. in Math. & lib. 4. cont. vit. cup. vii. monast. Bal. Coll. mon. c. 9. & 23 & e. piff. 79. Aug. 179. ciu. cap. 4. & ep. 89. ad Hilar. q. 4. Ber. Apol. ad Gul. Abb. Th. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. & q. 186. a. 6. ad 1. Math. 19. 29. 2. Cor. 11. 14. li. de prouid. col. 11. 8. in Plat. 90. cap. 7. Gen. 28. 17.

falsitatis aut sui negligentia, seu ignorantia, amoveatur ab illis. Vt amotus fuit sua culpa ille nepos Patriarchae, de quo supra actum est, & amoti sunt multi alij, quos brevitatis causa non commemoro. Hanc ipsam veritatem docuit Deus Pater S. Cathacinam Senensem loquens de Anima quae sumpsit corde sincero iugum obedientiae: Ergo perquirendo reperit cum lumine fidei, (credens quae Christus Dominus dixit in loco supra citato) locum sanctae Religionis, quae procul dubio fundata fuit à Spiritu sancto, posita veluti secunda nauicula pro recipiendis animabus, quae currere volunt ad huiusmodi perfectionem, & ut eas tutissime perducatur ad portum aeternae salutis. Huius nauicula Patronus verè Spiritus sanctus est, qui nunquam in se deficit ex defectu cuiuscumque, subditi Religiosi, qui transgressor esset ipsius Ordinis.

CAPVT SECVNDVM.

Tres alia Cause, ob quas valde estimanda est Vocatio ad Religionem, nimirum, quod talis vocatio Dei sit inspiratio; & quamuis non esset, Religio tamen amplectenda est ad evitanda certa salutis pericula, & quia status eius est melior & securior.

Quarta Causa.

8. INspiratio, quae quis interius sentit se ad statum religiosum amplectendum vocari, certissime est à Deo. Nam cogitationum omnium nostrarum, ut ait B. Laurentius Iustinianus, & apud Cassianum Abbas Moyses, tria sunt principia, seu origines: Deus, diabolus, & natura nostra. Desiderium autem intrandi Religionem, non potest nasci à natura, quia haec abhorret ab iis rebus quae necessarium sunt toleranda, & faciendae in statu Religioso; uti sunt mortificatio carnis, fuga peccatorum, abnegatio propriae voluntatis, subiectio perpetua sub obedientia, claustrum, libertatis abdicatio, victus asperior, castitas perpetua, nihil proprium habere unquam, & his similia. Daemon quoque ad haec non potest impellere, tum quia non impellit ad virtutum studium, quod ei summopere displicet, & à quo potius omnes retrahit, quod viget perpetuo in Religione; tum quia videt sibi eripi animas per statum Religiosum, quas in seculo peccatorum catenis ligatas possidebat. Ergo necessarium tale desiderium intrandi in Religionem, procedit à Deo quando aliquis sentit, se ideo ad Religionem moueri interius, vel ut fugiat peccata, & occasiones peccatorum, ac pericula salutis, quae videt, & experitur in statu seculari, vel dum accenditur desiderio vitae sanctae in Religione institutendae, vel ut satisfaciatur ibi pro peccatis in seculo commissis, vel ut Christum

perfectius imiteretur, vel ut maiores sibi in caelo coronas comparet per exercitia vitae Religiosae: haec enim res cum supernaturales sint, à solo Deo per se, vel per Angelum bonum illuminante, oriuntur, nec possunt oriri à natura, vel demone.

Quocirca meritò docet S. Thomas tales inspirationes non nisi à Spiritu sancto esse posse. 1. p. q. iiii. Quare bene ait S. Bernardus: Quoties super castigando corpore, humiliando corde, seruanda vnitatis, & charitate fratribus exhibenda, seu ceteris virtutibus acquirendis, conseruandis, amplificandis: salubris cogitatio in mente versatur, diuinus sine dubio spiritus est, qui loquitur, aut per se ipsum sanè, aut per Angelum suum, quem certum est, nunquam loqui ex semetipso. Sed Deum esse, qui loquitur in ipso. Ideo Deo vocanti parendum est, & eius vocatio magnificianda.

Quinta Causa.

ETiam desiderium intrandi in Religionem, & cogitatio de hac re, non esset à Deo, tamen qui in se sentiret, repraesentari sibi maiorem securitatem salutis in Religione, quam in seculo; & certiozem, ac faciliorem damnationem in seculari statu, quam in Religione; & maiora bona spiritualia animae, plures, & certiores coronas in caelo se acquiriturum in Religione quam in seculo; & praestantiozem esse statum Religiosum, quam secularem: propter hanc solam cognitionem, qui prudens est, & amat se ipsum bono amore; deberet eligere (sine alia Dei vocatione, vel angelica) statum Religiosum. Nam si alicui iter facienti, diceret homo fide dignissimus, & amicissimus; nolite proficisci per hanc viam, quia ibi sunt latrones, qui mactant, vel milites qui spoliant, & vix aliquis euadit, sed proficiscere per aliam viam, in qua non sunt haec pericula, expectaretne talis vocationem Dei vel reuelationem Angeli, ad eligendam hanc viam securiorem non expectaret. Cur ergo expectas ad eligendum statum Religiosum, & deserendum secularem, de quo Deus fide dignissimus, & maior amicus tuus, quam vllus mortalium, qui sanguinem suum pro te & vitam, antequam nascereris dedit, dixit per se, & per Apostolos, ac alios seruos suos, maiora mala, & pericula esse in seculo, quam sint vlla in vijs oblectis à latronibus, & à militibus. Audi & pondera Spiritus sancti verba: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum caelorum (nullus autem vult esse in seculo, nisi ut fiat diues.) Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum. Diuitias autem accumulare, inquit S. Asterius, citra peccatum, impossibile: nisi alicui iobo, (quod valde rarum,) simul & discescere, & iustitiam colere contigerit. Ideo meritò monet S. Ioannes: Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt: si quis diligit mundum,

distal. cap. 17.

Infl. de humil. c. 6. Cass. Coll. t. ca. 19.

9. 1. p. q. iiii. a. 2. & O. pusc. 17. c. 10. & a. 2. q. vlt. a. vlt. S. Bern. de 7. Spirit. col. 2.

10.

Matth. 19. 23. 24.

tr. de Di. uite & Lazaro. 1. Ioan. 2. 15. 16.